



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXLIX. De Legatis sedis Apostolicae, & pace facta inter infideles &
Christianos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

sed antequam hoc proficerent, tot ex eis vulnerati fuerunt, quod eorum numerum non audivi.

CAP. CCCXLIX.

*De**Legatis sedis Apostolicæ, & pace facta
inter infideles & Christianos.*

Hoc anno etiam Joannes Papa XXII. ad suggestionem fratris Friderici Ordinis fratrum Minorum Archiepiscopi de Riga & Civium ibidem misit ad partes Livoniæ duos (*a*) Legatos (*b*) Bartholomaeum scil. Episcopum Electum & Abbatem Monasterii S. Theofredi, Annensem Diaconum Ordinis S. Benedicti, ut Regem Lethovvinorum & Ruthenorum baptizarent, qui cum in crastino B. Matthæi Apostoli & Evangelistæ venirent ad Civitatem Rigensem, fecerunt pacem inter dictos Reges & eorum subditos ex una parte, & Christi fideles ex altera, & praeciperunt eam autoritate apostolica firmiter observari, addentes, quod quicunque, pacis fieret temerarius violator, aut aliquid ageret verbo, vel facto, consilio, aut opere, per quod eorum salubre negotium impediri posset, aut aliqualiter retardari, in sententiam excommunicationis incideret ipso facto, & quan non posset nec per sedem Apostolicam absolviri. Cui sedi ipse etiam infra tres menses deberet se presentare, subitus ibi correctionem debitam pro excessu. Hoc facto Legati solennes nuncios miserunt ad Gedeminum Regem Lethovvinorum ut negotium sibi commissum à sede Apostolica proponeant & diligenter investigarent, si ipse cum populo Regni sui vellet baptismi gratiam suscipere, & relictâ Idolatriâ nomen Domini nostri Jesu Christi humiliter adorare.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

- (a) In Chron. antiq. Germ. M. S. haec causa missæ Legationis assignatur. Videlicet cum Episcopus & Cives Rigenses perpetuas inimicitias contra Ordinem Teut. in Livonia foverent, in tota Europa hoc divulgarunt, duos illos Reges Russiæ & Lithuaniae Christianorum sacra suscipere yelle. Fratres autem Ordinis Teut. hoc ipsorum propositum impedire. Hos rumores non desierunt spargere, donec Pontifex duos illos Legatos in Livoniam mitteret.
- (b) Jeroschinus omisit hæc nomina Legatorum: Strykovvius verò sic legit: Bartholomæum Episcopum Electensem & Bernhardum Abbatem Monasterii S. Theofredi, Amiciensem Diaconum,

C A P. CCCL.

De

Destructione terræ Masoviæ.

Firmata ergo pace dum fratres & alii Christi fideles terræ Livoniæ & Pruschiæ & aliarum partium vicinarum indubitanter crederent, quod non deberent à modo prælia exerceri, & jam disponerent gladios suos conflare in vomeres, & lanceas in falces; Idem prophanus fidei hostis & fidelium, tanquam aspis surda, obturavit aures suas ad salutaria monita Domini Pa-pæ, per dictos nuncios eidem cum omni diligentia proposita; quia dum de salute sua & suorum cogitare debuerat, quomodo scil. posset dignè & cum reverentiâ debitâ suscipere baptismatis Sacramentum, ipse sequens vestigia prædecessorum suorum, totum conatum suum in destructionem fidei & fidelium convertit. Ordinavit ergo, quod David Castellanus suus de Gartha cum valido exercitu intravit terram Masoviæ XI. Kal. Decembris, & civitatem Episcopi Plotzensis, quæ dicitur Poltus, CXXX. villas dicti Episcopi, & Ducis Masoviæ, Religiosorumque & Nobilium, plura prædia, Ecclesiæ Parochiales XXX. & capellas cum multis oratoriis ad laudem Dei dedicatas rapinâ

Ecc 3

& in-